

BERLING, SJÖBORG, NILS HENRIK, WENSTER,
EMANUEL

Dissertatio de vi musicae in homines,
quam ... praeside Nic. Henr. Sjöborg ...
pro gradu philosophico modeste
exhibet auctor Eman. Wenster,
Lundensis, die XXIX maji a. MDCCCV

1805

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök*:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra*:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.


WENSTER: De vi musicæ in homines. 1805.

Ex. B

Mus.
Text.
(B)

1700 - 1829





WENSTER, E.

W. B.

Mus.

Teor.

(Bz)

1700 - 1829

DISSERTATIO
DE
VI MUSICÆ IN HOMINES,

QUAM

ADPROB. AMPL. ORD. PHILOS.

PRÆSIDE

NIC. HENR. SJÖBORG,

HISTOR. PROFESSORE REG. ET ORD. REG. ACAD. MUSIC. HOLM.

SOCIET. REG. GENEALOGICO-HERALD. HAFNIENS.

ET SOCIET. LITT. SCAND. MEMBRO.

PRO

GRADU PHILOSOPHICO

MODESTE EXHIBET

AUCTOR

EMAN. WENSTER,

LUNDENSIS,

DIE XXIX MAJI A. MDCCCV.

LUNDÆ,

LITTERIS BERLINGIANIS.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
SUMMÆ FIDEI VIRO,
PRINCIPI SENATUS REGII REGNIQUE DROTZETO
EXCELLENTISSIMO,
REGIORUM DICASTERIORUM PRÆSIDI
SUMMOQUE IN PATRIA JUSTITIÆ MINISTRO
GRAVISSIMO,
REGIÆ ACADEMIÆ CAROLINÆ CANCELLARIO
ILLUSTRISSIMO,
REGIORUM ORDINUM EQUITI AURATO
ET COMMENDATORI SPLENDIDISSIMO,
COMITI CELSISSIMO,
DOMINO
*CAROLO AXELIO
WACHTMEISTER*

SACRUM.

Vis Musicae in Homines.

I.

Omnia studia atque opera mortalium in vita tranquille feliciterque degenda versantur. Variæ tamen sunt viæ & rationes, quibus singuli suam felicitatem quærunt; ita ut quæ alteri oblectamentum, alteri fastidium afferant. Neque hoc mirum; quot enim homines, tot judicia dixeris. In tanta vero sentiendi diversitate hoc saltem commune est omnibus, quod sensus ad jucunda commoveri libentius patiantur. Neque vivendi ratio tantum esse debet honesta, verum etiam jucunda; quandoquidem in his duobus beata vita cernitur. Quam ob rem oblectamenta, quibus commoventur sensus, haud parvi esse momenti ducimus. Neque quisquam est, qui non videat, hæc eo majoris æstimanda, quæ magis simplicitati & naturæ convenient, quoque minus satietatem repetendo pariant.

Quæ voluptates vel maxime ex artibus liberalibus profiscuntur, quarum ars musica præcipuam vim sensuum excitandorum habere reperitur. Neque hanc fovendo sententiam a veritate alieni nobis videmur. Si enim usum quotidianum omnisque ævi historiam consulere velimus, nihil fere invenimus naturæ nostræ convenientius, nec quidquam ad placendum reficiendumque aptius musicis delectationibus. Quarum laus & virtus in eo quam maxime consistit quod suavissime ac validissime animum afficiunt eumque jucunde occupant, sine modestiæ vel morum aliqua offensione. Videtur prope divina illa ars, quæ musica appellata est, felicissimo quodam fato hominibus esse data, ut tolerabiliores faceret miseras, labores atque calamitates, sensumque nonnumquam recrearet atque reficeret. Nec ullum tam incultum licet invenire atque agrestem, qui non concedat, musica sublata, magno pulcroque quodam naturæ blandimento suavique solatio nos orbatos fore. Hac omnibus omnino ætatibus opportuna & accommodata invenitur: hac infans in cunis adhuc vagiens jucunde afficitur, nutricisque leni murmure lacrimari desinit suaveque sopitur. Puer autem cum æqualibus ludens, frequenter cantat: juvenis, ætate viribusque florens, permultum delectamenti ab hac arte capit, quæ & otium illi reddit jucundius & cupiditates, cum nimis ardentes facile fiant, sedat & tranquillat. Quid autem de vi illius in hominem ætate proventiorem, loquar? Ita in promptu est, ut
nulla

nulla disputatione indigeat. Nemo enim a natura bene instructus est, quin nonnumquam senserit, quantum habeat musica facultatis ad delectandum, quantum ad consolationem valeat. Quin etiam senex, frigidus animo & reliquis jam defervescentibus voluptatibus, musices oblectatur & permulcetur dulcedine. — Ut omni ætate communis est hæc ars, sic nulla natio, nulla gens, nullus denique ordo, qui vim & delicias musices non percipiat. Novimus quidem, rudes & feros Americæ atque Africæ incolas, pulsandis pangendisque organis, quæ in illis terris simplicissima profecto sunt, gaudio exultare. Neque delectatio, quam suis cultoribus barbara hæc & rudis affert musica, minor ea forsitan censenda, quam ex nostris sæpe nimis politis ac limatis harmoniis capiamus.

Cum igitur tam multæ & magnæ sint musices virtutes, non admirationem moveat, illam omnibus temporibus in tanta fuisse veneratione tantoque studio, ut non solum nostri ævi illustrissimi viri, sed antiquitatis etiam celeberrimi heroes ac laudatissima ingenia in hac colenda exercendaque arte magnum posuerint studium magnamque curam. Neque nobis deficiunt exempla, quorum unum & alterum proferre placebit. Sic audivimus, Socratem, virum sapientissimum, jam senem institui lyra non erubuisse 1). Neque nos fugit, Achillem, Gra-

a) Vid. Marcellini Orat. de Musica. p. 537.

Græcorum fortissimum, lyræ sono mirifice delectatum & refectum esse 2). Alexandrum Magnum citharizando frequenter maximas curas abjecisse, constat 3). Neque incognitum, Epaminondam, Thebanorum laudabilem ducem, citharizasse & ad chordarum sonum cantasse 4). Ex sacris etiam litteris compertum est, quam versatus in musicis fuerit Rex sanctissimus David 5). Quæ exempla satis superque ostendere possunt, haud parvam fuisse priscorum hominum de musica æstimationem. — Quid vero nostri coævi de præstantia musicæ sentiant, in aperto quidem est; quare jure meritoque reprehenderemur, si longiores in hoc proferendo essemus. Dicere itaque sat erit, musicam nostris temporibus ad vitæ communis jucunditatem augendam, sive ad lætitiæ hilaritatemque in cœtu & concilio efficiendam atque promovendam, non unice conferre. Nec in eo solum illius vis cernitur, quod in templis, ubi summum colitur numen, pietatem ut plurimum excitat & animum simplicibus melodiis ac harmoniis aptiorem precibus & meditationibus piis reddat, sed percipitur vis quoque musices turbulentissimis belli temporibus. Nec ulla omnino gens fuit aut natio, quæ

2) Marc. l. e.

3) Marc. l. c.

4) Corn. Nep. de Vita Epam. Cap. II.

5) 1 Sam. 16.

quæ non magnam vim arti musicæ ad animi magnitudinem excitandam concesserit. Quare instrumenta musicæ apud exercitus semper in usu fuerunt. Sic copias omnium maxime intrepidas Lacedæmoniorum musicis accendi modis ad prælium solitas, fama traditur: Romanæ quoque legiones cornibus & tubis alacriores factæ esse, memorantur 6). Quem morem recentiores imitatæ sunt gentes. Neque hoc admirationem habebit. Quid enim vehementius ac fortius musica milites exhortari aut mortis timorem debilitare vel frangere potest? Est quidem concentus organorum bellicorum, qui sanguinem bellatoris facit effervescentem illiusque animum reddit pericula spernentem; neque ei, in itinere prælium auribus gradibusque ad sonos & numeros compositis, cogitatio mortis ibi obvenerit, ubi gloria tam vehementer provocetur.

Hæc in genere attulimus, ut legentibus non displiceret, nos de arte scribere voluisse, quæ tum natura sua pulcherrima, tum effectu maxime insignis deprehendatur, quamque ipsi a teneris annis in deliciis semper habuerimus. De musices autem vi commemoraturi, eam tribus rationibus considerare nobis constituimus, ita ut, primum quo modo sensus externi afficiantur exquiramus, tum rationem, qua animus moveatur, investigemus, deinde illius vim, exemplis ex historia assumtis, ostendere conemur. Quæ omnia si non pro eo,

ac

6) Quint. 1. 10. 12.

ac materiæ gravitas postulet, perfecimus, mirum non videri debet ei, qui ingenii ac ætatis nostræ imbecillitatem cognoverit.

II.

Primum omnium dicendum est, quid per musicam intelligatur. Musica est ars, qua varii soni & melodi ita efficiuntur & conjunguntur, ut sensum auditus suaviter afficiant animumque commoveant. Atque eam, ope tantummodo sonorum, movere posse, omni procul dubio est. In soni itaque naturam & indolem diligentius inquirere, haud ineptum videatur. Illum in aëre consistere, atque per hunc quaquaversus transferri, omnes omnino cognoscunt. Neque quidquam est nisi aër, quod aures nostras circumdet, aut afficere possit. Quam ob rem, aërem ejusque mutationem, quam instrumenta sonos edentia in eo producant, veram esse soni causam atque proximam putamus. Neque ratio soni in quodam alio nisi solo motu tremulo querenda est. Si enim attendamus ad chordam tensam, quæ pulsata sonum edit, inveniemus, pulsu ipso in chorda nihil aliud effici nisi motum tremulum, quo ea nunc cis, nunc ultra situm quietis velocissime extravagatur. Quem motum in crassioribus chordis etiam oculis facile percipere possumus. Ille motus tremulus in campana sonante quoque invenitur, quam attingens, totam contremiscentem senseris. Cum igitur aëris mutatio, quæ
cor.

corpore tremulo efficitur, sensum soni sine re quada-
 dam media excitet, investigandum est, quomodo
 aër a corpore tremulo afficiatur. — Motus tre-
 mulus consistit in successivarum vibrationum repe-
 titione. Hisce singulis vibrationibus aër, corpus tre-
 mulum ambiens, percutitur, similesque vibrationes
 recipit, quas pari modo in ulteriores suas particu-
 las transfert. Quare ejusmodi pulsus & vibratio-
 nes in toto circumfuso aëre excitantur. Talem au-
 tem pulsum in aërem translationem unaquæque
 corporis tremuli vibratio peragere potest. Ex qui-
 bus profecto intelligitur, singulas aëris particulas
 simili motu tremulo, quo ipsum corpus, contreme-
 scere; hac tamen differentia, ut, quo longius a fonte
 vibrationes distent, eo debiliores fiant, donec tan-
 dem nimis longa distantia eas amplius percipi
 prohibeat. Nihil igitur exceptis pulsibus per aërem
 promotis, a corpore sonante ad aures differtur;
 quare facile est visu, hos ipsos pulsus in aëre ex-
 citatos atque in organum auditus incurrentes soni
 sensum producere. Hoc autem de soni aures affici-
 endi modo satis dictum sit; in quo explicando Eu-
 lerum, virum ut in aliis, ita in hac re, maxima lau-
 de dignum, secuti sumus. Sin autem quisquam
 his de rebus plura legere velit, omne, quod ad hoc
 pertinere possit, inveniet in Euleri perfectissimo
 opere, quod: *Tentamen novæ theoriæ musicæ*:
 inscribitur. 7) Antequam autem alia attingamus,
 b in

7) Vid. Cap. 1 op. c. De Sono & auditu. — Biberg Dissert.
 de Sono, præf. S. Klingenshjerna Upsl. 1742.

in medium proferre liceat, quomodo, secundum Eulerum sensatio obsolvatur. Exstat, ut illius utar verbis, in aeterna auris cavitate membrana expansa, a similitudine tympanum dicta, quae ictus aëris recipit, eosque ulterius ad nervos auditorios promovet; quo fit, ut dum nervi afficiuntur, sonus sentiatur. — Quoniam igitur ex allato dilucide intelligitur, aërem solam esse viam, qua soni nos afficiant; ad vim soni aërem aliasque res trementes reddendi, attendere debemus. Experimenta docent, omnem sonum tempore minuti secundi per spatium 1100 pedum Rhenanorum progredi 8). Valde idcirco velocius, quam vehementissimus flatus, qui eodem temporis spatio ultra 66 ped. non progreditur. Quare incredibilis quadam inesseet sono vis, si sicuti flatus continue ageret; cum autem, ut jam allatum est, soni effectus in successivis vibrationibus consistat, fit, ut potius quatiat, quam evertat. Scimus quoque, sonum aërem quam maxime extenuare; qui effectus solemnibus festis interdum rarus fuit, ut, vulgo conclamante, aves in terram dilapsae sint 9). Quotidie soni ad tremefacienda corpora vim reperire possumus, observando turres campos, quae, tormentorum explosione vel campanis personantibus, saepe vehementer contremunt. Altera vis soni est, quod corpora vicina percutit, neque raro sonantia reddit. Si itaque duas chordas aequales & unisonas tensas ponamus aliqua in-

8) Eul. l. c. §. 6.

9) L'Encyclopedie Franc. Art: de la Musique.

reijecta distantia, unam earum pulsantes alteram quoque resonantem audiemus 10). Neque res aliter se habet, si plura vasa vitrea, quæ eadem magnitudine & natura sunt, neque nimis longe a se distantia, aqua aut aliis humoribus aque complere velimus; cum enim unius marginem digito fricamus, aqua vel humores in ceteris vasibus se movere videntur; hæc tamen differentia, ut quo subtilior sit liquor, eo velocius moveatur. — Hæc duo soni propria cognita voluimus, ut perspicere- tur musica etiam vim quandam habere ad humana corpora movenda & afficienda; quare facultas ejus morbis medendi, de qua tam multum a variis, & antiquissimis & recentioribus, historicis allatum est, non absurda vel incredibilis videatur. Neque hoc exemplis tantum comprobatur, sed diligentior & accuratior investigatio corporis nostri naturæ ac indolis ad hanc sententiam stabiliendam plura argumenta habet. Cognitum enim est, corpus humanum in se continere fibras magis vel minus tenfas, nec non humores diversi generis. Quare cum ex supra dictis intelligatur, quomodo, una chorda pulsata, altera similem edat sonum; ex illa profecto vi, atque ex liquorum in variis vasibus motu colligere voluerunt doctissimi viri, eodem modo corpus humanum sonis affici, ita ut fibræ

b 2

ma-

10) Multa quidem exempla ab historicis allata sunt, quomodo lapides, instrumenta reliquæque res inaninæ sono organorum, motæ sint. Vid. L'Encycl. I. 6. Rousseau de la Musique. Kircher. Mersenne, &c.

maxime tensa & apta potissimum moveantur, quæ autem unisonæ sunt, longissime motum tremulum retineant. Humores quoque in corpore eadem lege moveri ac liquores in vasibus vitreis putaverunt; quibus ducti rationibus musicam arthritidi reliquisque nervorum morbis mederi posse haud absurdum censuerunt. Aliud argumentum, quo musices vis morbis medendi cognoscitur, in aëris facultate se comprimendi & dilatandi versatur. Cum enim cognitum sit, aërem in omnibus corporis nostri humoribus inesse ejusque cava explere; ex hoc intellectum voluerunt, aërem, qui in corporibus inest, externum secum adæquando ad corpora commovenda atque afficienda quam plurimum valere.

Hæc est summa sententiarum, quibus vim atque potestatem musices in morbis medendo corporibusque afficiendis perspectam demonstrare conati sunt. Qua de re varii tamen varie disputaverunt. Sic alii ejusmodi vim probabilem & credibilem existimavere, alii contrario eandem ut absurdam ac falsam vituperavere. Horum Tharsander quidam potissimum nominandus est, cui omnia, quæ de musices medendi vi commemorantur, contra veritatem repugnare videntur: 1) Putat scilicet musicen tantummodo excitanda phantasia homines commovere, nec sine hujus ope corpora afficere posse. Quod

1) Tharsanders Schau-Platz vieler ungerimten Meinungen und Erzähl. Berl. 1739.

Quod ingeniose ostendere conatus est, dicendo nervos in corpore humano tam depressos esse, tantaque pituita involutos, & cute ceterisque rebus ita obiectos, ut nullo modo fieri possit, ut nervi vel fibræ, æque ac chorda tensa, a tremulo aëre commoveantur. Albrecht 2) ceterique pro effecta musices in corpus humanum disputantes, grave argumentum sibi eo afferre videntur, quod musica efficit, ut per totas noctes saltare possimus sine ulla defatigatione; cui vero sententiæ adversarii opponunt, hanc vim non tantum musicæ, sed potius amoris & vino, quæ saltandi concionibus semper fere adsunt, tribuendam esse; & sic in ceteris argumentantur. Quæ autem multa de hac re scripta leguntur, ea, quamvis utilia ac jucunda relatu essent, nec tamen tempus, nec locus omnia proferre sinunt. Si vero a nobis quæritur, utrum musica quandam medendi vim habeat, nec ne; respondebimus, hanc facultatem illi non negandam esse. Quæ sententia ab usu, optimo rerum magistro, stabilitur & confirmatur. Quam efficax sit musica adversus morsus a Tarentulo, aranea venenatissima factos, satis patet 3). Quod unum exemplum ostendat hanc artem medicinam corpori afferre posse. Neque reliquas mentiones ab omnium fere temporum scriptoribus de musices san-

2) D. Joh. Willh. Albrecht de effectibus musices in corpore animatum.

3) Memoires de l'Acad. des Sciences an. 1702, Hist. Anc. pr. Koll. T. II, p. 171 & seqq.

nandi potestate, factas, ut fabulosas censendas esse
judicamus 4). Nemini de cetero incognitum est,
quam intimum sit vinculum inter animum & cor-
pus, ita ut, cum nos animo angimur, corpus etiam
agrotet. Quam ob rem haud difficile est visu, mu-
sicam, animum recreantem atque reficientem, ad
corpus sanandum sapissime conferre. Neque ra-
ro

4) Quod duo, ceteris omissis, celeberrima nostrae aetatis
ingenia hac de re scripserint in medium proferre placebit:

Notre Musique est capable d'agir physiquement sur
les corps, témoin l'Histoire de la Tarentule, trop co-
nue pour en parler ici, témoin l'Histoire de Chevalier
Gascon dont parle Boyle, lequel, au son d'une Corne-
muse, ne pouvoit retenir son urine; à quoi il faut ajou-
ter ce, que raconte le même Auteur de ces femmes, qui
fondoient en larmes lorsqu'elles entendoient un cer-
tain Ton, dont le reste des Auditeurs n'étoit point af-
fecté: et je connois à Paris une femme de condition,
laquelle ne peut écouter quelque Musique, que ce soit
sans être saisie d'un rire involontaire et convulsif. On
lit aussi dans l'Histoire de l'Académie des Sciences de
Paris, qu'un Musicien fut guéri d'une violente fièvre
par un Concert, qu'on fit dans sa chambre. — Vid. Di-
ctionnaire de Musique par Rousseau. T. 1. p. 496.

Die Musik reizet den Körper selbst zur Bewegung;
sie hat wirklich eine körperliche Kraft, wodurch die
zur Bewegung dienenden Nerven angegriffen werden.
Es ist glaublich daß durch Musik der Umlauf des Ge-
blütes etwas angehalten oder befördert werden könne.
Bekannt sind die Geschichten von dem Einfluß der Mu-
sik auf gewisse Krankheiten; und obgleich verschiede-
nes darin fabelhaft seyn mag, so wird dem, welcher

ro evenit, ut qui hypochondria sive aliis istiusmodi morbis laborent, musica adjuvante curentur. — Hæc autem satis dicta sunt de iis, quæ ad sensus externos commovendos spectant; in quibus profectis non longiores sumus, quam res poscat. Reliquum est, ut, quæ ad animum commovendum & delectandum pertinent, persequamur.

III.

Omniū sensuum nullus visu & auditu præstantior intelligitur. Nam per eos plurimas atque præstantissimas res percipimus. Atque ipse animus, his orbaris sensibus, incultus & rudis manet, neque magnam delectationem capit. Ex quibus sensibus auditus majores motus profecto efficere videtur; usus enim rerum comprobatur, tabulam persine pictam non tam oculos, quam sonorum nimiam discrepantiam aures offendere. Neque ex colorum pulchritudine tantam capere possumus de-

die kraft der Musik auf die Bewegungen des Körpers genau beobachtet hat, wahrscheinlich, daß auch Klaukheiten dadurch wirklich können gemildert, oder vermehrt werden. Daß Menschen in schweren Anfällen des Wahnwitzes durch Musik etwas besänftiget, gesunde Menschen aber in so heftige Leidenschaft können gesetzt werden, daß sie bis auf einen geringen Grad der Raserey kommen, kan gar nicht geläugnet werden. — Vid. Allgem. Theor. der Schön. Künste von J. G. Sulzer, Dr. Th. p. 427.

delectationem, quantam suavissimus sonorum concentus nobis attulerit. Cujus rei ratio, sententia celeberrimi Sulzer, in lucis atque aëris diversitate petenda est. 5) Quod breviter commemoravimus, ut intelligeretur, quanta in hoc sensu insit vis animorum commovendorum. Quomodo autem animus per auditum afficiatur, atque cur nos musica moveamur, ceteraque de musicæ vi in animum referre juvabit. — Si itaque ad rerum naturam & indolem accuratius attendamus, intelligemus, certos sonos certis nervis in humano corpore conjunctissimos esse, quibus animus afficiatur. Neque ullam aliam viam inveniri, qua fieri possit, ut animus moveatur, nisi nervorum ope, consentiunt philosophi. Musica itaque vi sua nervos afficiendi, animum commover. Et quemadmodum quisque animi motus singulis sonis indicatur, sic conjicere possumus, quosdam nobis inesse nervos, qui talibus sonis convenient eisque facile afficiantur atque easdem, ex quibus ipsi orti sunt, in animo efficiant commotiones; id quod ex usu quotidiano facile apparet. Audiendo enim clamores terrore ortos, ipsi terremur, lætis vero vocibus acceptis, ipsi lætamur. Affinitas autem, quæ est inter sonos quosdam atque certos animi motus facile percipitur, nam in natura ipsa sita est. Audire licebit homines affectu quodam incitatos, varios animi sui sensus varie semper exprimere, ita ut, iratus homo longe alio modo ac tranquillus & sedatus loqua-

5) Sulzer l. c. Art. Musik. p. 422.

quatur, nec tristi eadem vox, quæ lato. Ex quo intelligitur sonos afficere nervos, eisque animum moveri. Sin autem soni, qui, ut jam commemoratum est, sensum movere possunt, numero atque rhythmō 6) jungantur, existit musica, quæ non solum ad animos commovendos, sed etiam ad certos motus retinendos confert. Numero vero ac rhythmō sublatis, soni ad certos animi motus excitandos apti quidem essent, tales autem diu retinere nequirent. — Musices vim animum commovendi modo supra allato potissimum explicari debere existimamus. Nec tamen defuerunt, qui crederent vim illius in ordine, quem in se continet hæc ars, penitus sitam esse. Dixerunt scilicet, amorem quendam ordinis nobis innatum esse, unde fiat, ut quo plus ordinis in rebus inveniamus, atque quo magis certam quandam seriem secutæ videantur, eo majorem quoque delectationem nobis afferant. Ædificium itaque placet, cujus omnes partes inter se invicem convenientes & bene instructæ perspiciuntur. Neque forsitan alia est ratio musicæ, quæ seriem quandam sonorum continuorum atque aptorum in se continet, quorum ordo, aures grate suaviterque afficiendo, ani-

c

mum

- 6) Der Rhythmus ist im Grunde nichts anders, als eine periodische Eintheilung einer Reihe gleichartiger Dinge, wodurch das Einförmige derselben mit Mannichfaltigkeit verbunden wird; so das eine anhaltende Empfindung, die durchaus gleichartig (homogen) wäre, durch die Rhythmischen Eintheilungen Abwechslung und Mannichfaltigkeit bekommt. Sulzer 1. c. Art. Rhythmus.

mum oblectat. Quamquam igitur ii non sumus, qui contendamus omnem animi delectationem ab ordine sonorum tantum proficisci, concedendum tamen putamus, eum ad delectationem quam maxime conferre. Atque in tribus rebus omnem musicam consistere putamus: ordine seu numeris, melodia & harmonia; in quibus sane universa ejus vis, natura & commovendi facultas perspicitur. 7) — Constat, clarissimum Leibnitz rationem, cur musica nobis placeat displiceatve, ita explicasse, ut animus occupatus esset vibrationibus, quas unusquisque sonus in aëribus faceret, enumerandis, vel ut ipsius verbis utar, musicam delectationem positam esse in: *exercitio arithmetico occulto nescientis se numerare animi*. Sed quoniam videtur animus concentum plurium sonorum potius patiendi, quam agendo, percipere, causam, cur dissoni longe aliter ac consoni nos afficiant, non tam in ipsa animi actione, quam in auditus instrumentis ac organis quærendam esse existimamus. 8)

Omnia

- 7) Per *Melodiam* intelligimus seriem quandam plurium sensum moventium sonorum. *Harmonia* autem existit, quum plures ejusmodi atque inter se convenientes soni simul audiuntur.
- 8) Es scheint am wahrscheinlichsten zu seyn, daß der Grund der verschiedenen Wirkungen der Consonanzen und Dissonanzen auf uns in den organischen Werkzeugen unsers Gehörs zu suchen sey. Vielleicht sind unsre feinsten Empfindungswerkzeuge des Ohres den reinen durchaus gleichartigen Saiten ähnlich, die nur

Omnia vero, quæ ad hanc rem demonstrandam pertinent, non attinet hic proferre. Neque cum quæritur modus, quo musica animum moveat, quidquam certi statuere possumus, sed quæcunque de hac re sententia, ut hypothesis tantummodo consideranda est. Quo autem magis causa latet, eo promptior effectus invenitur. Quotidie enim audimus, homines gravibus corporis laboribus occupatos voce vel cantu se erigere 9); neque dubium, quin rhythmus atque numeri, quos fabri ferrarii, remiges & ii, qui tribulant, observant, ad labores illorum mitigandos ac levandos permultum conferant. De qua musices facultate animum ex arduis laboribus reficiendi Romanorum ingeniosissimus Poëta ita canit:

Hoc est, cur — — —
Cantet & innitens limosæ propus arenæ
Adverso tardam qui trahit amne ratem,

c 2

Qui-

zu consonirenden Schwingungen eine leichte Empfänglichkeit haben, und denen daher die dissonirende Vibrationen widernatürliche Bewegungen verursachen, welche die Seele miszmüthig machen, und in verschiedenen Graden Ängstlichkeit hervorbringen. — Steinbart's Grundbegr. zur Philos. üb. den Geschmack. Erst. Hest. p. 165.

- 9) Atque Musicam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dedisse. Si quidem & remiges cantus hortatur: nec solum in iis operibus, in quibus plurium conatus præeunte aliqua jucunda voce conspirat, sed etiam singulorum fatigatio quamlibet se rudi modulatione solatur. Quint. l. c. L. l. c. VIII. Ed. Roll,

Quique refert pariter lentos ad pectora remos
In numerum pulsa brachia versat aqua. 10)

Nec solum laboribus levandis inservit rhythmus & numerus; attentionem ipsam & commotionem animi in musicis, saltandi artificibus & iis ipsis, qui has vident & audiunt, mirum in modum augent & retinent. 1)

Si historiam consulamus, facile inveniemus, musicam initio ad hilaritatem excitandam retinendamque atque ad labores levandos potissimum adhibitam fuisse. Cum vero illius vis in his efficiendis percepta fuit, alios etiam atque inæstiores sensus hac arte exprimere conati sunt. Quam prospere hoc successerit, quotidie licet videre. Ubi enim melius quam

10) Ovid. Trist. l. IV. 1.

1) Wie der Drechsler in beständiger Aufmerksamkeit ist, seinen Schlag zu rechter Zeit anzugeben, so wird auch der Spieler, Tänzer und Zuhörer in beständiger Aufmerksamkeit erhalten, durch genaue Beobachtung der Accente den Rhythmus merklicher zu machen. Daher entsteht auf jeden Niederschlag des Taktes, und auf jeden Eintritt eines neuen Bestreben den Nachdruck richtig anzugeben. Ehe also der vorbergehende Eindruck noch ganz erschöpft ist, kommt schon ein neuer, und dadurch geschieht gewissermaßen ein Auffommen ein Anhäufung der Empfindung und der Wirklichkeit, wodurch das Gemüth immer mehr angefeuert und in der Empfindung gestärket wird. Sulzer l. c. Art. Rhythmus.

quam in templo per organi sonos sensus pios & religiosos expressos percipimus? Quid aptius ad communis vitæ voluptates comparandas, quam dulcis cantus svavi harmoniæ conjunctus? 2) Quid denique ad mœrorem ac mœsticiam exprimendam musica accommodatius, quid ad tristes animos atque afflictos recreandos promptius? In omni autem musica nihil jucundius aut svavius voce humana invenire licet, neque alia ratio, qua sensus exprimantur aptior, intelligitur. Ut svavis & canora vox vel nemine adjuvante, perjucunde movet; sic plarium concentus vocum vehementius ac fortius animum excitat, eumque fortitudine aliisque ardentioribus commotionibus per sæpe incendit. Exemplo erunt Angli, qui in cœtibus conciliisque concinentes carmen illud: *God save the king*, magno patriæ amore inflammari videntur. Neque quidquam forsitan excogitari potest, quod animos ad pugnandum

ar-

- 2) Quin etiam ingeniosissimus Franklin, in epistola ad amicum, ubi ei gratias agit, quod sibi misisset cantilenas quasdam musicis literis consignatas, dicit se putare, eas ad moderationem atque industriam efficiendam hand parum profuturas esse. Quem effectum perpauca quidem in musica exquisendum putarent. Attamen ipsius verba ita leguntur: I like your ballad, and think it well adapted for your purpose of discountenancing expensive foppery and encouraging industry and frugality. If you can get it generally sung in your country, it may probably have a good deal of the effect you hope and expect from it. — Letter to Mr Neupert inven. in Franklin's Experiments and Observations on Electricity etc. Lond. 1769.

ardentius exhortetur, quam cum tota acies praemium iniens populare carmen instrumentorumque concentu mixtum concinat. Musicam autem atque poësin inter se conciliari debere, quando animos, unde & quo velint, ducere & flectere poterint, nemo non viderit. Ambae naturae nostrae aequae conjunctae sunt, ambae ex eodem tempore cultae & aestimatae fuerunt, vimque suam juxta exserunt. 3) Quare non mirum videri debet, quod de Amphione & Orpheo narratur, potuisse illos haec pulcherrimarum artium vi & suavissima conjunctione illud efficere, ut homines, agresti & ferino more viventes, ad humanitatem, mansuetudinem, pietatemque perducerent. Poësis vero sine musica rudes illorum atque agrestes sensus haud multum commovere potuisset; quibus tamen conjunctionis nihil fere fortius & vehementius animos commovere posse putamus. Scimus enim musicae eam
vir-

- 3) Man har sagt, att Poësin är själen musik; man kan ock säga att Musiken är passionernas Skaldepråk. Sannerligen, då alla de Wackra Konsterna äro Syskon, alla erkännande ett gemensamt ursprung: känsla och inbildning; tyckas desse vara födde på en och samma gång, förenade af ett twillingband. Inbördes likhet och inbördes behof bestyrka denna tro. Båda gå de genom örat till själen. Båda fordra de, få till sågande, ett nytt sinne att rätt kännas och värderas. Båda pryda och förädla de hwarannan. Utan stöd af Musiken är Skaldens språk mindre rörande: utan Skaldkonstens hjälp Musikens uttryck mera wacklande. Se Kellgrens Saml. Skr. 3 del. s. 172.

virtutem esse, ut affectus atque commotiones animi felicissime exprimat, atque valde nos excitet & delectet. Quæ tamen cum sonis inarticulatis tantummodo utatur, certas cogitationes in nobis nullo pacto gignere potest, sed imaginatione movenda cuicunque jucundissimas sibi fingendi veniam dat. Ex quo fit, ut sensus, quos musica moveat, semper vagentur, neque certis rebus inhaerere possint. Sin autem ejusmodi sensus ad certas & finitas res, quales sunt eæ, in quibus poësis versatur, referantur, affectio multo major & perfectior percipiatur, necesse est. Quare & antiquissimis temporibus illud musices cum poësi commercium cognitum & celebratum fuit. Nam compertum habemus, priscos vates carmina sua sæpe ad citharam recitasse, atque deorum & heroum laudes resque maximas canentes docuisse. Qui mos apud majores nostros etiam fuit. Sic historia patriæ commemorat poëtas, qui vetustis temporibus Bardes atque Brages appellati sunt, apud reges in aula semper fuisse, atque non solum carmina ad regalia convivia cecinisse, sed illis etiam milites ad fortiter pugnandum exhortatos fuisse. 4) Atque ratio, cur tanta in antiquissimi ævi musica fuerit commovendi potestas, in eo potissimum forsitan ponenda est, quod antiqua musica carminum (vavitate numquam fere destituta fuit. 5) — Ut autem de magno & fere incredibili

4) Hejms Kringla. D. I. p. 771.

5) L'ancienne musique, toujours attachée à la poësie, la suivait pas à pas, en exprimait exactement le nombre et la mesure, et ne l'appliquoit qu'à lui donner plus d'e-

bili musices effectu nobis persuasum sit, non opus est neque Græcorum *Pæana* narrare, neque quantum universi ii clamores, quos in cœcibus & conventibus hominum ad animi pietatem vel lætitiã significandam extolluntur, animos nostros commoveant; sufficit quidem concentum musicum audivisse, ubi poësis & cantus & harmonia inter se mirifice apta sint & convenientia. In quo genere *Salimbeni* præ aliis excelluit, quo canente supra mille auditores magnopere delectati & tamquam obstupefacti dicuntur. 6) Nec inutile censemus, quid celeberrimus *Rousséau* de hac indole & vi musices observarit, in medium proferre: *Quand on vint à ces grands morceaux d'expression, qui savent exciter et peindre le désordre des passions violentes, je perdois à chaque instant l'idée de musique, de chant, d'imitation; je croyois entendre la voix de la douleur, de l'emportement, du désespoir; je croyois voir des mères eplorées, des amans trahis, des tyrans furieux; et dans les agitations, que j'étois forcé d'éprouver, j'avois peine à rester en place.* 7)

His igitur allatis omni vacat dubio, quin magna in arte musica commovendi vis & potestas in-

clat et de majesté. Quelle impression ne devoit pas faire sur un auditeur sensible une excellente poésie ainsi rendue? L'Encyclopedie l. c.

6) Sulzer l. c. 3 Th. p. 432.

7) Rousséau dans Julie Tom. I. Let. 48.

infit, quæ tamen aliter ab aliis percipitur, ita, ut musices periti multo magis, quam ignari delectentur. Neque de musicis aliter, quam de ceteris rebus judicia hominum comparata sunt, quippe quæ excolendo elegantiora ac subtiliora semper evadunt. Sic qui in pingendo non versatus est, ex tabula quadam a Raphaël picta valde minorem capit delectationem, quam qui picturæ operam dederit; & sic in ceteris. Quomodo vero homines inveniri possint, qui nihil sive in musica percipiant, perdifficile est intellectu. Neque alio quodam modo hoc explicari credimus, nisi eo, quod ejusmodi homines non perfecta omnino habeant auditus organa, & præterea naturalem quandam animi & sensus tarditatem. Ex quo fiat necesse est, ut nunquam in hac præclara arte quidquam jucundi vel sive percipere queant. Sed ut visus vel olfactus expertes de colore aut odore judicare nequeunt, sic quoque hebetes aures in sonis & musica maxime falluntur. Qui autem acribus & integris instructi sunt audiendi sensibus, musices commovendi vim tam celeriter & promte reperiunt, ut eis supervacaneum forsitan videatur, plura ad hanc rem demonstrandam afferre. Multo enim melius hæc usu & auribus sentiuntur, quam copiosa quadam expositione tractantur: nec doctrina multum valebit, ubi naturæ bona & adminicula desunt. Numeri vero, rhythmus, atque cantus indole commutata, sensus etiam, quos excitat musica mutantur; ita, ut & triste, & hilare, & jocosum atque

virile vario tempore sentire possimus; in quibus omnibus effectus illius varius quidem percipitur, jucunditas tamen & suavitas semper servatur. — Quæ cum ita sint, non mirum, musicam semper in usu & honore fuisse. Atque nullum fere tempus, teste historia, fuit, quo hæc ars penitus neglecta reperitur. Neque Divini cultus & honores diu ante musicam existisse videntur, cujus vis & potestas animos hominum ad pietatem & humanitatem perducendi cito intellecta est. Ab antiquis inde temporibus musica interfuit omnibus honestis jucunditatibus, easdemque simul multo majores effecit. Neque aliter de musica existimatur nostris temporibus. Musicam quoque multum valuisse crediderunt ad dolores mæstorum & lugentium hominum leniendum. Pastores autem, cum solitudinem sibi suaviores reddere velint, fistula canunt, & tenerimos sensus induunt. Quin servi & mancipia, cum suæ sortis immemora de libertate & præteritis voluptatibus canunt, nonne levantur, & ad tempus solatium percipiunt?

Sed ut nemo nos reprehendat, quod nimiam vim huic arti tribuerimus, observamus omnium fere temporum scriptores, qui de musica mentionem fecerint, illi, uno quasi ore, maximam homines commovendi potestatem concessisse. Et ut de aliis taceam, *Kellgren*, magnum nostri sæculi ingenium, eundemque verissimum & sapientissimum in his rebus judicem, nominare sufficet; qui in

tetrachordi nostri laudibus ita multus & uber est, ut quod de universa musices facultate & præstantia senserit, non difficile intelligatur 8).

IV.

Magna inter magnos fuit disceptatio, utrum antiqua, an nostra musica, majorem in se contineret sensus commovendi vim. Qua de re quidquam certi statuere perdifficile profecto est, cum perpauca exempla antiquæ musicæ supersint 9). Illud tamen contra eos, qui nullam se in antiquorum musica vim invenire credunt, admonendum esse videtur,

d 2

quod

8) Hwad höjd af fullkomlighet! Detta döda wärktyg, slumt i sin natur, eller illa gnifslände under olärda finger, huru vinner det en röst? och en röst, som wi begripa? och en röst som tränger sig ned i öjpet af vårt hjerta? än skakar det wäldsam med stridiga passjoner, eldar, retar, smärtar, förskräcker; än flyter balsamisk öfver alla des fibrer, läker plågans sår, stillar begärens storm, borttager känslan af de grymmaste olyckor, smälter vårt öga i ljufwa tårar, och i tillfredsstäl'elsen med oss sjelfwa ger åt vår warelse det nya lif, den förklarade dag, som bryter tillbaka på alt hwad oss omger, våra likar och naturen? Kellgr. I. c. p. 175.

9) Quorum tamen paucitas non impedit, quominus in eis explicandis & perspicendis vel ætas hominis frustra consume etur. His enim temporibus notæ musicæ nondum erant inventæ; quarum loco adhibebant

quod Græci, cum in omnibus fere artibus principes essent, in musica quoque ad summum forsitan perfectionis gradum pervenerunt, præsertim cum hanc artem summopere adamaverint. Quæ nisi pulcherrima & suavissima fuisset, Atticorum teretibus & religiosis auribus placere non potuisset. Imo si nostra muficæ multa elegantior magisque artificiosa & auribus simul suavior habetur, concedendum tamen est, antiquam musicam simpliciorum & natura aptiorem, atque ita ad animos commovendos & affectus excitandos, efficaciorum fuisse. Alienum huic loco fortasse non videbitur, nonnulla de veterum cantionum generibus commemorare; quæ suum nomen a gentibus duxerunt. Alii enim cantus Phrygii dicebantur, alii Dorii, alii Lydii, alique Æolii. Quæ quatuor genera præcis illis temporibus præcipue viguerunt. Phrygius cantus vel ad animi oblectationem vel ad pugnas excitandas adhibitus est; qui cum acrius intenderetur, tamquam furore quodam ad pugnandum animos inflammabat. Dorius ad honestatem, castitatemque præcipue animum componere credebatur. Lydius ad iudicium acuendum & ab humanis rebus ad divinas animum extollendum aptissimus habitus est.

Æo-

litteras, ea vero arte vel difficultate, ut si de sonis conveniret, de mensura tamen & modis, quos ea indicarent, semper ambigeretur. — De nostrarum notarum inventionem a monacho Guido Aretino sæculo XI, earumque perfectionem sæculo XIV a Doctore Parisiensi, appellato Jean de Muris, legitur in: *Envallons Musikaliska Lexicon*, p. 221. — Rousseau l. c. Art. Notes.

Æolius animi perturbationes sedare, somnumque jam pacatis attribuere existimabatur. His allatis ad exempla, quibus vis musica in homines demonstraretur, nos conferamus. Si rerum annales evolva-
mus, per plurimos locos commemorationes de musi-
ca vi inveniuntur. Sic mentio facta est de Timo-
theo quodam, in musice celeberrimo, qui cum in
convivio Phrygium cantum incepisset, regem Alex-
andrum adeo incitavit, ut statim ad arma rapi-
enda exsiliret 10). Atque in nostris etiam antiquissi-
mis scriptis commemoratum habemus, quomodo
magnus ille musicus *Bosa*, barbitone (*barpa*) ludens,
in nuptiis Siggeir atque Leidur, non solum omnes
presentes ad saltandum excitaverit, sed ipsam de-
nique sponsam surripuerit 1). Pythagoram accepi-
mus, incitatum & furentem adolescentem musica
adjuvante composuisse 2). Plutarchus autem narrat
de magno illo musico Terpandro, qui svavitate
vocis sono citharæ conjuncta seditionem in Lace-
dæmonia conflata sedavit 3). Neque de eo ta-
ceamus, quod de musica Polybius, fide dignus hi-
storicus, retulit. Duas ait esse in Arcadia natio-
nes, ex quibus una propter humanitatem, pietatem

mo-

10) Dio Chryf. Orat. I.

1) Vid. Herrauds och Bosas Saga. — Præsidis: Fåder-
neslandets antiquiteter, p. 60; ubi de variis modis,
quibus *Bosa* cætebat commemoratum invenitur: *Gyar-
slag* scilicet, *Drambu-slag*, *Hjeranda-Hljod* vel *Her-
randa-ljud*, *Faldafykir* vel *Stadans* &c., quorum ex-
plicatio & comparatio cum nunc temporis usitatis mo-
dis l. c. legitur.

2) Quint. l. c.

3) Plutare. de Musica.

morumque simplicitatem & integritatem magno-
 pere celebrata, altera vero barbara & ferox, scdis-
 simis facinoribus detestabilis: Quæ magna morum
 diversitas, teste Polybio, ex eo profecta est, quod
 altera artem musicam magno studio excolebat, alte-
 ra vero eam omnino negligebat 4). Ex veteribus
 autem Philosophis, Pythagorici maximam vim &
 utilitatem musicæ tribuerunt; qui non modo cum
 cubitum irent, semper hymnos & alia carmina ca-
 nebant, quo dulcior & levior somnus sibi obrepe-
 ret; sed eandem quoque rationem matutino tem-
 pore servabant, ut somni stuporem mentisque ca-
 liginem ejicerent 5). Putaverunt etiam veteres,
 musicam ad castitatem & pudicitiam servandam
 multum conferre; quare de Ægistho narratur, eum
 Clytemnestram prius corrumpere non potuisse, quam
 interfecisset Demodocum musicum, quem Agamem-
 non iussisset, se absente, uxoris animum in matrimonii
 fide & officio suavissimæ artis virtute & potestate reti-
 nere. Quo officio Phemius, frater ejus, feliciori suc-
 cessu apud Penelopen functus est 6). Nec vero mu-
 sica his temporibus in animis commovendis tan-
 tum cernebatur, sed vis illius in morbis medendo
 etiam perspecta est. Cujus quidem rei permulta exem-
 pla exstant. Narrantur itaque Terpander & Arion,
 musicis cantionibus cives suos gravissimis morbis
 eripuisse 7). Xenocrates modis organicis lymphati-
 cos curasse, Thalesque Cretenfis citharæ suavitate
 morbos & pestilentiam fugasse dicuntur 8). Atque
 contendit Asclepiades, bonus medicus, nihil melius,
 quam musicam, phreneticorum mentibus sanitatem

10.

4) Polybius. l. 4. p. 289—291.

5) M. re. l. c.

6) L'Encyc. l. c. p. 94.

7) Vid. J. B. Porta in Magia Nat. 8) Marc l. c.

restituere posse 9). Jam Galleni temporibus musica adhibita est adversus serpentium, scorpionum ceterorumque istiusmodi animalium morsus. Memoria proditum est, quomodo hypochondria vel mania, qua vexabatur Saul, Judæorum Rex, a Davide citharizante fuerit levata 10). Plura vero ab antiquitate exempla petere superfluum erit, præcipue cum recentior historia de musices vi haud raro mentionem faciat. Vis illius medica a variis scriptoribus, fide dignissimis, commemorata invenitur. Sic de femina quadam, quam amor amentem fecerat, narrat M. Bourdelot, eam concentu musico, ter quotidie repetito, sanatam esse 1). W. Albrecht dicit, se virum melancholia laborantem, qui medicamenta omnis generis frustra adhibuisset, per musicam curasse 2). Narrantur Americani omnibus in morbis musicam adhibere, ut ea vires & animus ægroti excitentur, metusque deponatur. Reginam Elisabeth morituram eodem consilio musica usam fuisse, fama fertur 3). M. Dessault contendit artem musicam in phthisi maxime utilem esse 4). Illam Tarentulo solum & efficacissimum esse remedium, jam allatum est. — Ut autem Timotheus Alexandrum incitavit, sic musicus quidam *Claudin* regnante Henrico III, per modum Phrygium, ut narrat *D'Aubigny*, non solum Regis animum accendit, sed quendam ex amicis ita etiam incitavit, ut sui immemor, rege præfente, gladium educeret. 5) Atque si præci musicen ad castitatem uxorum ser-

van-

9) L'Encycl. de l'effets de la Musique.

10) 1. Sam. c. 16. v. 23. 1) Bourdel. Hist. de la mus. c. III.

2) Albr. de eff. mus. 3) L'Encycl. I. c. p. 95.


4) Dissert. sur la phthisie par M. Dessault.

5) Rousseau Dict. de Mus. T. I. p. 496.

vandam adhibuerunt, non minus mirum videtur, Thomam Morum, Angliæ Cancellarium, conjugem suam morofam & stomachofam mufica mitem & mansuetam reddidisse 6). Memorabile est, quod de *Stratadella*, illustrissimo mufico, fertur; canentem eum tam placuisse illustri & nobili feminæ Venetiæ, ut se totam ei traderet, atque cum eo Romam fugeret. Quos persecutus est alius, qui eandem feminam amasset, contumeliam acceptam per eandem rivalis vindicandi cupidus. In qua mente cum Romam venisset, & Stratadellam fidibus canentem in templo S:ti Petri audivisset, non solum occidendi consilium plane omisit, verum etiam eum a ceteris inimicis ac persecutoribus tutum & incolumem servare omni modo conatus est. 7) Commemorationem huic similem de *Iama*, Neapolis celeberrimo mufico, legimus. Qui durum & impatientem creditorem se aggredientem suavitate vocis suæ ita mitigasse dicitur, ut mufico non modo debita remitteret, verum etiam novo ære eum obstringeret, mutuum dando, quantum ad ceteris, qui credidissent, solvendum necessarium esset. 8) Quantam & fere incredibilem vim cantus ille simplex, appellatus *Ku he-rânt zen*, ad Helvetios commovendos habuerit, satis constat. De quo apud *Rouffeau* ita legitur: *Cet Air, (Rans-des-Vaches) si chéri des Suiffes, qu'il fut défendu sous peine de mort de le jouer dans leur Troupes, parce qu'il faisoit fondre en larmes, désertev, ou mourir, ceux qui l'entendoient, tant il excitoit en eux l'ardent desir de revoir leur pays.* Neque silentio cantus, sic dictus, *Massiliensis* omittendus est, cujus magna vis in Gallorum animis excitandis nuper percepta est. — Hæc autem de vi muficæ in homines sufficiant.

6) Tharfander l. c. p. 292.

7) Journalisten. Proffit. p. 73. Stockh. 1789. 8) Journ. l. c.



www.books2ebooks.eu